



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XI. Caelestini Papae I. Ad Ephesinae Synodi Patres, Estqve  
Encyclica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

Exech. 33.  
1. Tim. 2.

consulamus. Nonne nobis respondet illico per prophetam, *mortem se nolle morientis*, & per apostolum Paulum, *omnem hominem velle saluum fieri, & venire ad scientiam veritatis*? Nunquam displicet Deo accelerata in quocumque correctio. tua sit hoc sanctitatis, cum venerando fratrum \* Concilio, vt orti in ecclesia strepitus comprimantur, & finitum, Deo annuente, negotium votiua correctione discamus.

Studium &  
vigilantia  
Cælestini.

2. Cor. 10.

Conuentui autem nos deesse non dicimus: neque enim ab his absentes esse possumus, quibus nos vbicumque positos, fides tamen vna coniungit. Nolo nos corpore isto censerī, cuius præsentiam Apostolus assignat infirmam: illic fumus; quidquid illic pro omnibus agitur cogitamus, spiritualiter agimus, quod corporaliter agere non videmur. Studeo quieti catholicæ, studeo per euntis salutem, si tamen voluerit ægritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti se corrigere, forsitan deesse videamur. Nam etsi & nobis sustinentibus vnam, spinas sibi addiderit: impleatur, manentibus statutis prioribus, sui fructu iudicii: colligat quod sulco diabolico seminavit, non nostro consilio, sed se periturus auctore. Probet nos veloces pedes ad effundendum sanguinem non habere, quando sibi etiam se medicum cognoscat oblatum. His autem, quos erga catholicam fidem tua fraternitas dicit se habere suspectos, si scripta direxerint, pro qualitate rerum eis nos respondere necesse est: in quo negotio nemo subrepet, quia tota cautione tractatur. Data Nonis Maii, Basso & Antiocho viris clarissimis consulibus.

## EPISTOLA XI.

## CÆLESTINI PAPÆ I.

AD EPHESINÆ SYNODI PATRES,  
ESTQUE ENCYCLICA.

*Cælestinus episcopus sanctæ Synodo apud Ephesum  
constitutæ.*

Exod. 15.

**T**ANDEM malorum fine gaudendum est. Tandem nobis omnibus in commune dicendū: *Dextera tua, Domine,*

*glorificata est in virtute, dextera manus tuæ confregit inimicos.*  
 proprie namque ipsi contracti sunt, quando *iniqua loquen-* Psal. 62.  
*tium*, dicente Dauid, *os videamus esse obstructum.* Huiusce ta-

\* fideles  
 Dei,

men tam fideliter peractæ rei vos executores, defensores  
 nobiscum videmus fuisse fidei \* sacerdotes, qui conue-

Philip. 2.

nientes in vnum, & secundum Apostolum, *non quæ ve-*  
*stra sunt quærentes, sed quæ Christi Iesu*, negotium Domini

Laudat flau-  
 dium pa-  
 trum.

minus egistis. Apud vos ergo de vestra loquimur sancti-  
 tate, quorum in omnem terram sonum gaudemus exisse,  
 cum & in finem eiusdem orbis prædictæ veritatis a vobis  
 verba venerunt. Deus noster non patitur latere quod præ-

\* ego

stitit, quia nunquam beneficia superna celantur. Ita nam-  
 que fit, vt tanto munere innotescente cælesti, pro volun-  
 tate diuina ( sicut scriptum est ) *omnis homo saluus fiat, & ve-* 1. Tim. 2.

*niat ad scientiam veritatis.* Loquor ergo \* victoribus, & qui  
 in prælium solam contra hostem portauerunt *fidem, quæ*, 1. Ioan. 5.

Ioanne dicente Apostolo, *vicit & mundum.* Vobis eiusdem  
 proprie perscribo sermonibus, qui secundum diuinam pa-  
 ginam, vt patres cognouistis quod ab initio est, & vt iu-

uenes, dum fortes estis, & verbum Domini in vobis ma-  
 net, vicistis malignum, in talibus sociis gratulantes. De  
 hoc euentu minime dubitabamus: habuit animum no-  
 strum fiducia sperandi, qui vobis videremus diuinæ causæ  
 pondus incumbere, quos bene admodum noueramus, se-  
 cundum illud propheticum, *odisse congregationem maligno-* Psal. 25.  
*rum, & cum impiis non esse sessuros.* Optime ergo hoc credidi,  
 quia contra nocentes atque peruersos ( sicut supradictus  
 ait ) *innocentes & recti adhæserunt mihi.*

Psal. 24.

Vna igitur eademque relatione per filios nostros re-  
 ligiosos & Deo amabiles viros Ioannem presbyterum &  
 Epictetum diaconum deiectionem iustam, & exaltatio-  
 nem didicimus iustiore, illud quod in euangelio legi-

De Nesto-  
 rit deposi-  
 tione, &  
 ordinatio-  
 ne Maxi-  
 miani.

mus, approbantes: *Quia Deus noster exaltat humiles, & po-* Luc. 1.  
*tententes de sede deponit.* A qua sententia ille noster sapientif-

simus minime deuiavit, qui ait, a Deo nostro humilium  
 seruatam memoriam, & perditam superbiorum: quod

Psal. 9. 33.  
 & 111.

quando magis videatur impletum, quam nunc, cum sal-  
 uator noster parâs benemeritos honorare, ossa hominum  
 sibi placentium dissipauit, & prouiso pastore dignissimo,  
 feralem lupum de ouibus suis immaculatus agnus eiecit?

*Concil. Tom. 4.*

Qq q ij

Legimus eius a vestra fraternitate scripta primordia, nec quisquam nostrum mirari potuit, quia nota dixistis: assertio impendatur incertis, testimonium comperta non quarunt. Bonorum hunc actuum palæstra semper exercuit: talem hunc didicimus, qualem in literis inuenimus: talem certe (vt breuiter dicam) qualem doctor noster esse præcipit sacerdotem, vt conuenienter omnium iudicio mereatur audire: *Ecce vere homo Israelita, in quo dolus non est.* Nonne laudibus in eum vestris ista conueniunt? Taliter denique, quæ dixistis, audistis. Talem successorem quærebat sanctæ memoriæ Sisinnii beata simplicitas, vt locum suum non nisi sui similis obtineret: etenim melius agimus, si abstinentes iam ab illius sacrilegi nomine, sedem vacasse dicamus. Actum est diuino iudicio, vt hunc ecclesia pro remedio mereretur. Denique discordiam tulit, & concordiam reddidit ordinatus. Quid non poterit præstare per tempora, cuius hoc primordia præstiterunt? Hæc de eo inuicem dicimus, quem pax reparanda quærebat. Interfuimus, nec nos diximus absentes, cum eius capiti verba mystica dicerentur, cum redderetur omnibus diuina lætitia salutaris: postremo, nemo illic catholicorum defuit, vbi omnes in commune vicerunt.

De Theodolii Augusti pietate.

Lætati præterea sumus clementissimi de hoc & Christianissimi principis testimonio, cum epistolis dilectionis vestræ eius sententiam videremus esse concordem. Nec mirum est, si cor regis, quod est in manu Dei, cum his senserit, quos eius nouerit sacerdotes. Itaque sermo regalis diuinas res exequendo multiplicat \* in Augusto: felix imperium, cui militat executio diuinorum, nec hic minus felix, quem prædicat dominatio mundanorum: hoc testimonio dignus est, qui ordinandus probari, non qui improbari potuit ordinatus. Scimus quo itinere sanctus frater & coepiscopus noster Maximianus, quibus gradatim stipendiis ad fastigium sacerdotale peruenit. Non hunc diuitiarum gloria, non velut in potentia cupidum, qui solet inesse ambientibus, honorum saltus euegit; suffragio pauperum, quibus fidelis seruus & prudens cibum dabat in tempore, super omnia Domini sui constitutus est bona, & tamen etiam si desiderium fuit episcopatus, non nisi propter opus bonum (sicut ait

Matth. 25.

\* militat  
Augusti

Apostolus) concupiuit : ita Deus noster, & quid velimus, & cur velimus, attendit. Quis dubitet, posse magis agere præfidentem, quod potuit exercere subiectus? Exofus & blasphemus istud officium non poterat habere, id est, corporum curas, qui nitebatur animas vulnerare: facta est ruina eius magna, tam ruina magna, quam praua doctrina. Nunc qui de præteriti emendatione gaudemus, cauere nos conuenit in futurum, ne possint magis ac magis quæ abscissa sunt pullulare: quia necesse est, quocumque pestis hæc loci sit, nostri corporis membra vexentur, & per patientiam nostram peiora prioribus nutrita videantur.

Scripsimus clementiæ principali, vt de sanitatis medio longius infirmitas auferatur. Didicimus namque hunc Antiochiam reuertisse, atque sibi illic, vnde venerat, viuendi præstitam facultatem. Innocentum exitium est istud exilium. Aspiciamus diligenter quid illic possent parere, quæ illic sunt ante concepta. Non est notis suadere difficile: in oculis est eiusdem ciuitatis ecclesia, quæ per hunc periit sacerdotem: & tamen laboramus aduertere quis cui fuerit causa peccati, nisi forte (quod pro quiete ecclesiarum dicimus) deceptum se ille demonstrat, deserendo damnatum. Sed quis illic speret aliquem posse corrigere, vbi arcem tenere videat peruersitatis auctorem, vbi colatur ab omnibus exolatus? Magna illic est (quod lugentes dicimus) desperatio sanitatis, vbi (sicut Isaias dicit) *omne caput in dolore, & omne cor in aesti-* Ita. 1.  
*tia a pedibus vsque ad caput.* Quando ibi membrum aliquod habere poterit spem salutis, vbi periclitatur corporis tota compago? Elaborate, fratres carissimi, elaborate, obsecro, vt vere tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit: sola decet tales homines solitudo: vbi enim debet hic inuenire solatium, qui sic tractauit vbique regnantem?

Peracta est a vobis totius summa negotii: agendum nunc est quod instat & restat, ne sit in vacuum laboratum. Longius quidem sumus positi; sed per sollicitudinem totum propius intuemur. Omnes habet beati Petri apostoli cura præsentis: nos ante Deum nostrum de hoc possumus excusare, quod scimus: nam quamquam

De Nestorio longius ablegando.

Sollicitudo curæ pastoralis Romani pontificis.

hæc quæ loquimur, sanctitas vestra tacuerit, agnoscimus tamen omnia diligentius requirentes. Tanta igitur causæ finis, qui superest, actibus vestris, quæso respõdeat: quia nolumus in modico vos deesse, qui maxima peregistis. Adiutorio apud reges terræ his estote quæ scripsimus: norunt & ipsi quid suis debeant præstare temporibus: sciunt quod catholicæ fidei fundamento sua regna subsistant. Puta ab heredibus sanctis paternæ & auitæ credulitatis vena seruatur; fluit ab illis incorrupta per posteros, nec hanc in his aliquis vnquam limus infecit: custodit fortis, cui fidelis est cursus exordium; cum id quod in origine acceptum est, videtur in prole.

De liberanda Antiochia a Nestorio.

Act. II.

Canem & operarium malum pariter persequamur: facite præsentem, quod hortamur absentem: nam cum hanc curam generaliter omnibus debeamus, præcipue tamen nos conuenit Antiochenis præcipitantibus subuenire, quos pestifer morbus obsedit. Absoluamus modis talibus ciuitatem, in qua (sicut Actus apostolorum loquuntur) dictos primum legimus Christianos: omnibus virtutem præstemus, quibus secundum religionem debere nos nouimus quod vocamur. Hanc autem sollicitudinem nostram præsentem probarunt Deo amabiles filii & carissimi atque animis nostris acceptissimi Ioannes presbyter & Epictetus diaconus, quos reuersos ad vos festinato remisimus, sollicitus hoc agentes, vt quos diebus dominicæ natiuitatis accepimus, resurrectionis dominicæ tempore redderemus.

Qui recipiendi ad ecclesias sint lapsi episcopi.

De his autem qui cum Nestorio videntur parum pie consensisse, atque se socios eius sceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quas apostolica sedes semper aspexit. Quod loquimur, Cælestianorum testantur exempla, quod spem de Synodo hucusque gesserunt. Habent, si respiscunt, copiam reuertendi: quod his solis non permittitur, quos proprie cum auctoribus hæreseos omnium fratrum constat subscriptione damnatos. Per Dei namque misericordiam aliquos ex eorum numero ad nos iam rediisse gaudemus. Quod hoc consilio factum est, vt quos conscientia mixta non poterat, saltem sententia separa-

ret. Hoc, moneo, vestra fraternitas sequatur exemplum: fit caput sceleris cum his, quos synodalia loquuntur statuta, damnatum; reliqui quos cum hoc sentientes in communione ecclesiastica non habemus, in ciuitatibus suis & se in nostro collegio nouerint non futuros, nisi secundum ecclesiasticum & Christianorum principum constitutum, damnata hæresi cum auctoribus sociisque damnatis, se profiteantur catholicos sacerdotes. Quam formam etiam circa eos volumus custodiri, qui subripiendum ex ecclesiasticis causis a Christianis principibus crediderunt, & alio ordine rursus ecclesias occuparunt.

Antiochenum vero, si habet spem correctionis, episcopum a vestra fraternitate volumus conueniri: ut nisi quæ sentimus senserit, nouellam blasphemiam eodem exemplo scripta sua professione condemnans, intelligat de se quoque ecclesiam, quod fidei nostræ respectus imperat, ordinare. Credendum tamen de diuina est misericordia, quod omnes in viam redeant veritatis, si de supradicto loco horum malorum caput & causa auferatur. Data Idibus Martii Aetio & Valerio consulibus.

De Ioanne  
episcopo  
Antioche-  
no.

## EPISTOLA XII.

CÆLESTINI PAPÆ I.  
AD THEODOSIVM IUNIOREM.

*Cælestinus episcopus Theodosio Iuniori Augusto.*

Causis suis diuinam prouidentiam præstitisse quod sperabamus, agnouimus: nec enim aliud futurum mentes poterant æstimare fidelium, regnantibus vobis, quam id quod euenisse gaudemus, ut prædicatio in Deum impia concideret, & cum suo auctore noui dogmatis damnata prauitas deperiret. Illata quidem fidei bella sunt, & regis æterni sacrilegis verborum iaculis natiuitas appetita; sed vos Christo Deo nostro auctore regnantes, hostes impios fidei vestræ virtute vicistis, cælestem reuocantes triumphum, per quod religioso munimen in perpetuum præstetis imperio. Vere enim prophetica gloriæ vestræ vox conuenit, & regnum vestrum dici po-